

**GEORGII  
BENEDICTI  
WERTELO  
EPITHAPHIA. IN  
FUNUS...**

---

Georgius Benedicti Werteloos



TETRASTICHON IN EPITAPHIA G. BENEDICTI.

*Quod decuit iamdudum alias fecisse Camoenas  
Id dum non faciunt, tu Benedicte, facis.  
Tirones mirare loqui; cessare magistros?  
Hæc si homines. sileant funera, saxa fleant.*

HEXASTICHON.

*Dum longum, quos fama canit mirata, Poeta  
Muneris obliti conticuere sui;  
Se parat officio tandem, Delphensis Alumnus;  
Nunc Cantabrigiæ, quem Schola clara, fouet,  
Ingenij vireis explorat, cæpta secundant  
Ardua Pyerides, dexter Apollo fauet.*

# AD HOSPITEM.

**Q**VISQVIS es, ô hospes, manes reuerere sepultos;  
Qui iacet hîc, Bataui gloria Martis erat  
Sanguine Nassouio clarus, sed clarior armis,  
    Queis seruata fuit Belgia, pulsus Iber.  
Quid referam pacem, quid Relligionis honorem,  
    Quem patriæ inuitâ reddidit Hesperia?  
Omnibus his gestis, proscriptus fraude nefanda  
    Occidit, heu, Belgis; ipse sibi superest.  
I nunc, uiue memor tanti Ducis, hospes, & adde  
    O faustos manes, ô miseram patriam!

## ALIVD.

**V**IDERAT Auriacum pro Belgis hostis Iberus  
    Inuictum belli motibus ire ducem.  
Viderat: & lati proscriptum finibus orbis  
    Quem dare non poterat Marte, dat arte neci.  
O fatum crudele! perit nemo, nisi victus;  
    Hic, quia victor erat. Dic age, vicit vter?  
Famam si quæras, cecidit qui fraude cecidit:  
    Qui cecidit, vero iudicè, victor ouat.

## ALIVD.

**D**VM struit exitium Belgis Hispana tyrannis,  
    Vnica Nassouitum tollere cura fuit.  
O iustam Nemefin! nam qua Proscriptio famâ  
    Sustulit Auriacum; sustulit Austriacum.

Auriaci ergo vnam posthac caue dixeris hospes;  
Austriaci est potius nominis hic tumulus.

ALIVD.

ASSERVIT iustis Princeps, dum viueret, armis  
Libertatis opes, & Pietatis opes.  
Nunc vbi fraude mala cecidit, memor vtraque facti,  
Verè illum Patriæ reddidit atque Deo.  
Sic gemina fruitur vita, terrisque poloque:  
Felix post mortem cui datur vna comes.

ALIVD.

BRVTVS & Auriacus pro libertatis honore,  
Hic fraude, ille armis occidit Ergo pares?  
Haud ita; pro Patria, laus est, si quis cadat armis:  
Plus est hunc armis non potuisse mori.

TVMVLVS LOQVITVR.

AVRIACI cineres habeo, quem non tego, terra:  
Austriaci cineres, quem tego, non habeo.  
Mutila sic vna est hinc inde, sed integra vtroque.  
Pro Rege hi cineres, Rex mihi pro Auriaco est.

HOSPES LOQVITVR ET TVMVLVS.

Quis iacet hac sub mole? cinis: nil amplius? ossa.  
Cuius? quo cureo: quo petijt? superos.

# EPIGRAMMATVM

## LIBELLVS.

### AD SENATVM INCLITÆ

#### REIPVB. DELPHENSIS.

O BATAVÆ lumen terræ, venerande Senatus,  
Mecænas studijs, portus & aura meis.  
Qui præbes mihi grata colendis otia Musis,  
Dum nouus in Patriæ viscera sæuit Iber.  
Quid te, quid tanto referam tibi munere dignum?  
Si nil, est aliquid hoc quoque, posse nihil.  
Sin aliquid, nil illud erit: superest, tua reddam,  
Seruasti Musas, en tibi reddo, meas.  
Hoc quoq; quod tibi reddo tuū est, sacer ordo. Quid ergo?  
Vicisti: nil iam quod referam superest.

### AD LECTOREM.

CONTIGERIS manibus nostrum quicumque libellum:  
Lector, non censor carminis esto mei.  
Censuram meruit, fateor: sed quæso, remitte  
Indicij sint hæc præmia tuta mei.  
Nam si cuique notam cupias adpingere næuo,  
Mox nota totus erit, qui fuit ante liber.

### IN ZOILVM.

ZOILE, quid caperas in libri limine frontem?  
Exi: quid intras? limen hoc si displicet.

IN EVNDEM.

FRIGIDA ais dare me (fateor quoque) carmina : verum  
Frigida si mea sunt , dic , tua quando calent?

IN EVNDEM.

INGENIO mea scripta carent , fateorque : sed heus tu,  
Dic , quum nil edas , quale tibi ingenium est?  
Aut non es vates , aut es soli tibi : turpe est  
Non dare , si possis : carpere , si nequas.

IN EVNDEM.

MULTOS Zoile dicis impolitos  
Includi numeros meo libello,  
Paruo huic & tenui tamen libello.  
Verebar quoque diceres & omnes.

DE VIRTUTE.

QV ID forma melius ? quid fuluo carius auro?  
Quid toto regnis maius in orbe datur?  
Iaspide quid magis ornatum ? quid melle tenari  
Dulcius , Hyblæis candidiusque rosis?  
Dulcior his virtus tamen est & pulcrior vna,  
Forma , auro , regnis , iaspide , melle , rosis,

DE ROMANA REPVB.

DIV ES erat Romæ Respublica , paupere ciue,  
Pauperque hæc eadem , diuite ciue , fuit:  
Quid dico? imo fuit diues vel pauper vterque  
Coniunctim , ille ausis fortibus , hæc opibus.

Nec mirum : nam dum hic sibi vult bene, plus patriæ ille;  
Hic neutri : ille sibi consulit & patriæ.

### IN EXCIDIVM CARTHAGINIS.

VICERAT hostiles validæ Carthaginis arces  
Fulmen Romanæ Scipio militiæ.

Vicerat, & victo parcendum suaserat hosti:  
Sin minus, ipsa novos Roma dabit Tyrios.

Quum Cato, ne victis Romani parcite, dixit:

Qui nunc sunt victi, vincere cras poterunt.

Nec mora, mox, Tyriæ subiectis ignibus vrbi,

Cum Tyria Tyrium perdidit vrbe genus.

Quid tunc vrbis honos, quid tunc Cannense tropæum

Profuit & forti prælia gesta manu?

O dolor, ô facinus te indignum Roma, tuisque:

Tot donare vni præmia Mulcibero!

Hoc vnum superest quo te soleris adustam,

Quòd perijt flammis diruta Roma tuis.

Sic post mortem vltix Romæ Carthago fuisti:

Dum stabas, hostis; dum cadis, exitium.

### DE MVTIO SCÆVOLA.

SCÆVOLA fortis eras, quum velles sternere Regem;

Fortior, igne tuo dum fuit vsta manus.

Nam dum Vulcano non vis neque cedere Regi,

Vincis vtrumque; vnum patria non potuit.

### DE HORATIO COCLITE.

ROMANAM primus fundavit Romulus urbem,

Seruauit Cocles primus, vt ille dedit.

Maior vter? nam nec sine Coclite Roma stetit,  
Nec notus Cocles, ni foret illa, foret.  
Hoc tamen intersunt: quòd regno Romulus, ille  
Libertate regi patria regna dedit.

### DE PORTIA M. CATONIS FILIA.

PORTIA cor flammis, dextram sibi Scæuola adussit,  
Quasque manu hic sensit, imbibit illa faces.  
Dignus vterque sua patria, sed dignior illo  
Portia, pro patrijs si foret vsta focis.  
Scæuola nunc vincit, patriæ dum fecit amore  
Viuens, quod moriens Portia amore viri.

### IN SP. TARPEIAM.

PRIMA auro patriam Tarpeia vendidit arcem;  
Hæc eadem est auro vendita prima suo.  
O stultam, fluxum patriæ quæ prætulit aurum!  
Hac ignorabas te moriente mori?

### PRO LVCRETIA.

PVL CRA Venus formâ diuas superauerat omnes,  
Solaque erat Teucro iudice pulcra Venus.  
Vnica restabat Lucretia, nescia vinci;  
Hæc Venerem vicit, vicit vt illa Deas.  
Surge Pari, & des huic, Veneri quæ poma dedisti:  
Pulcra Venus, pulcra hæc, sed quoque casta fuit.

### CONTRA LVCRETIAM.

CVR mucrone tuum figis Lucretia pectus,  
Turpe per obsequium passa neganda pati?



Si violata tuo cessisti perfida voto,  
Quid cupis infami morte piare nefas?  
Sin scelus inuitam timor anceps ferre coëgit,  
Purus in impuro corpore mansit amor.  
Quid fuit ergo necem immeritam cur ense subires?  
O furor: ipsa scelus quo cluit ille, luis.  
Ah quanto satius, virtutis teste toro, esset  
Tarquinij manibus, quam cecidisse tuis?  
Sic tua mors, laudem traheret, nunc digna reprimi,  
Ultrix amissæ fera pudicitia.  
Quid iuuat ergo animus castus, quid nobile corpus:  
Tu violasti animi, corporis ille decus.

#### DE BIANTE PHILOSOPHO.

QVVM foret hostili deuicta furore Priena,  
Omnibus vna auri cura fugæque fuit.  
Vnus in vrbe Bias animi bona prætulit auro  
Aurum plebs, opibus diues vterque suis.

#### IN ALEXANDRVM MAGNVM.

MAGNVS Alexander totum deuicerat orbem,  
Vnde sibi Magni nomen adeptus erat.  
At quam paruus in hoc, quam Magni nominis expers,  
Quòd victo orbe capax non fuit ipse sui?  
Quid Magnum ergo alijs & haberi & nomine dici  
Profuerit, paruus si fuit ipse sibi?

#### DE REGINA ANGLIÆ.

INNO, Minerva, Venus, tria quondam numina; sed nunc  
Vnica pro tribus his Elisabetha regit.

Imperijs Iuno, forma Venus, arte Minerva,  
Maior at his rara laude pudicitia.

Anglia, qua posses Regina tutior esse?

Qua posses simili prosperitate frui?

Nam si Palladium seruauit moenia Troia,

Quid faciet Pallas uiua, quid aucta tribus?

### IN NOMEN D. HYGONIS DONELLI.

IUPITER in caelis tonat vnus & omnia donat:

Donat ius terris & tonat vnus Hugo.

Quid praefers ergo huic Parnassum Phoebe Lycos?

Si cantas illic, hic quoque qui tonat, est.

### AD AMICVM DE I. LIPSIO.

FORTE suas quarens Charites insanus Appollo,  
Meas, ait, Charites mihi quis abstulit?

Nunc iuga Parnassi, nunc sacrum Helicon pererrat,  
Charites tamen nec hic nec illic inuenit.

Miraris? cessa mirari: namque latebant

Omnes in imo Lipsiani pectoris.

Quid vetat ergo nouum, Lipsi, te dicere Phoebum?

Apollo dicet ipse, si rescierit.

### DE EODEM.

HISTORIAE lumen priscae inuidiosa vetustas

Quondam in Lethaeas praecipitarat aquas.

Diruta Romanae gentis monumenta iacebant,

Curia, templa, domus, Amphitheatra, forum,

Quid referam positis Capitolii plena tropaeis

Atria? quid veterum laurea ferta ducum?

Omnia erant densis annorum immerſa ruinis,  
Regnum, Libertas patria, & Imperium.  
Vnicus crexit collapſam Lipſius urbem:  
Et Romam nobis reſtituit veterem.  
Omnia nunc oculis occurrunt obuia noſtris,  
Curia, templa, domus, amphitheatra, forum.  
Iam currus medium Circi vertuntur in axem,  
Prætor dat ludos, præmia victor habet.  
Bella gerunt iterum Romani, & curribus aureis  
Victores patria cernimus vrbe vehi.  
Quid multis? florent priſcis crepta ruinis,  
Regnum, Libertas patria & Imperium.  
Hoc vni iuſto debes noua Roma, quid ergo?  
Rex, Conſul, Cæſar Lipſius eſſe poteſt.

DE EODEM.

QVOD fuit, hoc debet ſoli tibi Romule, Roma,  
Quod nunc eſt, Lipſi, gloria tota tua eſt.

AD IANVM DVZAM.

PLUMBEOS tibi mitto, Duza, verſus,  
Aureos mihi protinus remittis.  
O venam Iouis imbro gratiorem!  
Præferret Danaë ipſa, ſi videret.

DE EODEM.

FORTE pererrabat ſiluas, Helicone relicto  
Aoniam tangens doctus Apollo lyram.  
Tangebant Mulae pariter, fratremque ſequentes  
Pulſabant ſimili dulcia pleetra ſono.

Obuius interea resonans sua carmina Ianus  
 Præsentem, occurrit, nescius esse Deum.  
 Pone sequebantur præcuntem carmine lauri,  
 Douzæo optantes vertice posse geri.  
 Pone sequebantur siluestria humina, Fauni,  
 Duzæo optantes carmine posse cani.  
 Tum Phœbus: Quin æthereas feror, inquit, ad arces,  
 Si Duza in terris me meliora canit?  
 Vos ô Sicelides victori occurrite vari,  
 Et comites Lauri, quam trahit, este meæ.  
 Sic erit & Phœbus terris, & Phœbus Olympo,  
 Felices homines, queis licet esse deos?  
 Dixit & æthereum curtu conscendit Olympum,  
 Duzam Heliconiadum turba secuta fuit.  
 Nunc eat Euridicen reuocet Rhodopœius Orpheus:  
 Qui cælo includit numina, quantus erit?

### IN QVENDAM VIRTVTIS

EVCOMIASTEN.

ORATOR bonus es, fateor, sed pessimus actor:  
 Si sapis, aut taceas, aut age quæ loqueris.

IN EVNDEM.

SEMPER in ore tibi est virtus: tamen exfulat illa  
 Pectore. scis causam? semper in ore tibi est.

### IN IMPVDENTEM OLLVM.

AVDIERAT mores laudari Socratis Ollus,  
 Quòd simili semper fronte animoque foret.

Audierat,

Audierat, subitoque pudorem sustulit omnem,  
Vt gereret frontem Socraticæ similem.  
O res effuso risu dignissima! nam dum  
Sperat Socraticum se fore, fit Cynicus.

### IN EBRIOSVM POETAM.

EBRIVS ad numeros scribendaque carmina saltas,  
Nec, bene ni potes, esse Poëta potes.  
Quid mirum? nam quæ plena inter pocula ructas  
Ebrius, hæc Bacchi carmina, non tua sunt.  
Et miramur adhuc, quòd tali nata parente  
Carmina suspensis non egeant hederis?

### IN EBRIOSVM.

DIC mihi quis furor est? vno tantum bibis haustu,  
Balena aut quantum non bibat aut Elephas.  
Et vix ebrius es. Quid inauditum magis vlli?  
Credo ego, Balenas iam quoque terra feret.

### IN EVNDEM.

QUANTVS es, ebrius es; nec mirum, cum tibi fauces  
Spumanti madeant nocte dieque mero.  
Nec tamen, ecce, pudet populo spectante vomentem,  
Per vicos vrbs tendere, perque forum.  
Post vbi concoctum temerum somno, illico surgens  
Sobrius esse cupis; credite, natus homo est:  
Antè pecus fuerat: surrexti vix tamen, ecce  
Ebrius es cyathis, &, velut antè, pecus.  
O Proteu, qui tot nosti tibi fingere formas:  
Porcus abisti hodie, quando redibis homo?

## IN ALIQVEM.

MVLTVS aurea multa polliceris  
Singulis prope millies diebus  
Per dextram fidei tuæ; nec vnquam  
Soluis ære fidem, datamque perdis  
Singulis prope millies diebus.  
Sed quid perdere dico? non dedisti.

## IN EVNDEM.

QVÒD tibi crediderim, quòd spe sim lusus iuani,  
Culpa tuæ fidei est ista, sed illa meæ.  
Securus post hac mihi des promissa fidemque:  
Tunc quoque nil perdes, omnia cùm dederis.

## IN MISSAM.

MISSA quid est? Papæ cento est: hunc consuit ille,  
Vt mendicanti nemo negaret opem.  
Quid vetat hunc igitur mendicem dicere Papam?  
Sutor, non ausim dicere quod sit, erat.

## IN PAPAM.

NON est Romana meretrix tam turpis in vrbe,  
Quam non Papa ferat, si modo dona ferat.  
Sic quæstu Papæ & meretrici viuitur vno:  
Felicem vitam credite, vterque meret.

## IN EVNDEM.

QVÒD pateris tota meretrices viuere Roma,  
Quid mirum? cùm sis ipse etiam meretrix.

Scire cupis cur sis? Dicam tibi Papa: quòd illæ  
Prostituant corpus, tu sacra. Peior vter?

IN EVNDEM.

SANGVINEIS crevit Romana potentia bellis,  
Crevit & interiit sanguine victa suo.  
Sanguinea crevit Romanus cæde Sacerdos.  
Crevit, & it pessum cædibus ipse suis.  
Quid mirum? nam si fuit vnum culmen vtrique,  
Quur & non, vnus lapsus vtrique fiet?

IN EVNDEM.

TRES habuit mundus Babylonas: sed tribus istis  
Ut commune scelus, sic quoque poena fuit.  
O Romana time Babylon: aut numen in orbe  
Nullum est, aut grauius te manet exitium.

AD LIBELLVM SVVM.

SED fatis, ô fatis est: nec plura libelle requiras,  
Sat legit lector, sat tibi multa tenes.  
Si bona, iam liber es lectori, parue libelle:  
Si mala, te librum non opus est fieri.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY

IN 1784

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY  
CHICAGO, ILLINOIS  
1784

IN 1784

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY  
CHICAGO, ILLINOIS  
1784

AD 1784

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY  
CHICAGO, ILLINOIS  
1784